



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Cap. I. Christus, Magnus Dominus, Rex Magnus super omnes Deos. Rex gentium, Rex Regum, & Dominus Dominantium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79582](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79582)

SECTIO QVARTA DE CHRISTI TITVLIS

Per ordinem ad creaturas quascunque
intellectu prædita, Angelos
videlicet & homines.

361



ITVLI Christi de quibus proximè actum est, consti-
tuebantur per ordinem ad omnes planè res creatas. Qui
sequuntur, sunt angustiores, spectantque sola subiecta ra-
tione prædita; nempe Angelos & homines. Nonnulla
enim Christi attributa sunt utrisque communia; nimirum
titulus Regis, qui multiplex in scriptura proponitur. Nam

& absolutè Rex dicitur, & *Rex gloria*, *Rex virtutum*, *Rex super Sion montem san-
ctum Dei*, *Princeps pacis*. Item titulus *Legislatoris*, & *Iudicis* qui sunt veluti fructus
Regiæ potestatis. Item titulus *Capitis*, & *primogeniti in multis fratribus*. Hæc
omnia Christi attributa, ut ex dicendis patebit, Angelos communiter ac homines
respicunt; ideoque meritò præmittuntur iis quæ homines solos spectant. Quam-
vis autem Origenes tomo i. in Ioan explicans Christi titulos, contendat, titulum
Regis hominum & Angelorum, cadere in eum ut Deus est, quod probat ex psal.
71. initio, tamen quæ dicemus, euincunt Christum etiam in natura humana Re-
gem esse: nec id reuera negat Origenes, quamvis eum titulum principaliter Verbo
Dei competere rectè statuatur.

CAPVT I.

*Christus magnus Dominus, Rex magnus
super omnes Deos, Rex gentium, Rex
Regum, & Dominus Dominantium,
Rex cæli & terræ.*

COMMODE post tractatum proxi-
mè Christi dominium proprietatis,
delabimur ad dominium iurisdic-
tionis. Habent enim ea dominia connexionem,
ut ex ipso dominiij nomine liquet: tametsi
sejungenda fuerunt, quia sub eodem nomine,
differt essentiali ratione. Aliud quippè est
esse Dominum dominio proprietatis, aliud
verò habere dominium iurisdic-
tionis, siue regnum & principatum. Ariana quidem per-
fidia effatum fuit, referente S. Ambrosio epi-
stola ad Marcellinam de tradendis Basilicis
(est numero 33.) *Imperatori licere omnia,
ipsius esse vniuersa*. Hoc tamen æquitas omnis
repellit, ut latè prosequuntur Ribad. lib. 2. de

Princ. cap. 9. & Molanus lib. 4. de fide hærec.
seruanda cap. 13. Imo Ethnicis ipsis id fuisse
comptum, docent illa Seneca lib. 7. de be-
nefic. cap. 5. [Sub optimo Rege, omnia Rex
imperio possidet, singuli domino.] Et mox
cap. 6. [Cæsar omnia habet, filius eius pri-
uata tantum ac sua. Et vniuersa in imperio
eius sunt, in patrimonio propria; quid eius sit,
quid non sit, sine diminutione imperij quæ-
ritur. Nam id quoque, quod tanquam alic-
num abiudicatur, aliter illius est:] nempe im-
perio tantum, non etiam viritum, ut paulò an-
te dixerat, siue dominio proprietatis. Eadem
apud Platonem legere est lib. 1. de Repub.
Aliud igitur est, Christum fuisse Dominum
rerum omnium dominio proprietatis, aliud
verò esse Regem vniuersalem, siue habere in
omnes dominium iurisdic-
tionis, quod & at-
tentiùs est dominio proprietatis, cum non com-
plectatur destituta intellectu, & alterius for-
mæ dominium est quàm dominium proprie-
tatis, ut per se liquet, & traditur plenius eum
de dominio 2. 2.

Dimissa

*Dimissa, regna Christi mystica, & quod
ex titulo hereditatis Davidica,
inuehunt aliqui.*

362 Regnum itaque Christi nunc tractaturus, sepono in primis regnum illud Christi, quod in plerisque scripturis memoratum esse, rectè notat Bellarminus in recognit. lib. 5. de Pontif. cap. 4. nempe regnum gloriæ, quod in perfecta corporis & animæ beatitudine situm est: unde sequitur libertas ab omni creaturarum subiectione, quod est regnum Dei in quod latro petebat admitti. Eodem pertinet illud Lucæ 22. *non bibam de generatione vitiis, donec regnum Dei veniat.* Nec non quod Lucæ 19. Christus de passione sua agens per quam abiturus erat accipere possessionem gloriæ undeque consummata, adhibet parabolam viri nobilis, qui abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum & reverti. Hoc item sensu, Transfiguratio quia fuit adumbratio perfectæ gloriæ Christi, dicta aliquoties est regnum. Nam Marci 9. cum Christus dixisset, *sunt de hic stantibus qui non gustabant mortem, donec videant regnum Dei in virtute veniens*, paulò post describitur Transfiguratio. Sunt alia quàm plurima loca quæ B. Cyprianus lib. 2. ad Quirinum c. 26. & 28. & Bellarminus supra coarctuant, ad hoc regnum Christi pertinentia. Sed hoc regnum quod Christo cum electis omnibus commune erit in gloriâ, nunc non moramur intencii duntaxat in regnum, quod Christo etiamnum viatori, tribui potuit.

Seponendum item est regnum, siue humano titulo innixum, & cum eo apparatu sensibili ac potentia externa, quæ Reges sæculi exornat. Hunc enim terrenum principatum, ad quem Iudæi Messiam suum prouehendum arbitrabantur, ac etiam nunc arbitrantur, Christus non habuit; nec secundum regulas æternæ sapientiæ fortia in infirmitate confundentis, habere debuit. Et ita ferunt innuere scripturæ, quas vident, qui illud Christi regnum quod animales Iudæi animo conceperant, potenter evertunt. Valdensis latè lib. 2. doct. cap. 76. & 77. Augustinus Anconit. quæst. 1. de potest. Eccles. art. 9. Adamus in c. 9. Esaiæ, Finius in flagello Iudæorum l. 5. cap. 1. & 15. Ex Patribus Tertullianus lib. contra Iudæos. Eusebius lib. 7. de demonstr. Ambrosius l. 3. in Lucam ad illud, *dabit ei Dominus sedem David*, & S. Hieronymus in c. 22. Ierem. qui rectè ostendit, non pugnare cum Luca Ieremiam, Etiam si Lucas tradat dandum Christo regnum Davidis Patris eius: Ieremias autem denunciaret, neminem ultra de Davidis familia regnaturum in Israël, post Iechonium, vel Sedeciam patrum eius. Machabæi enim non fuerunt Reges, sed tantum duces & Iudices; nec fuere de tribu Iuda nisi per lineam scæmineam. Regnum ergo Davidis excisum in Iechonia est, nec Christus quem Matthæi 1. docemur ortum ex Iechonia, eo titulo humano fuit Rex Iudæorum; non modò de facto, sed ne de iure quidem: quicquid latè è contra pro tali iure Christi

ad regnum illud, disputet Baptista Pozal. 2. elucid. Deip. tract. 11. c. 3.

363 Quod autem regnum Davidis tribuendum Christo Angelus denunciabat, pertinet ad regnum spirituale in Ierusalem mysticam. Egregiè planè id tradit S. Bernardus hom. 4. super missam est, enodans citatum Lucæ locum, *dabit ei Dominus Deum sedem David Patris sui.* Proposita enim in contrarium difficultate, ex verbis Christi, negantis regnum suum esse de hoc mundo, itemque ex eo quod indignum sit, Christo sedenti super Cherubim promittere solum David in terrena Ierusalem, responderet. [Sed nouimus quandam aliam Hierusalem ab ea quæ nunc est in qua regnauit David, significatam, multo ista nobiliorem, multo ditiozem. Hanc igitur puto hic fuisse significatam: illo videlicet vultu loquendi quo sæpè reperis in scripturis, significans poni pro significato. Tunc sanè dedit illi Deus sedem David patris eius, quando constitutus est rex ab eo super Sion montem Sanctum eius. Sed hic Propheta de quo regno dixerit expressius aperuisse videtur, in eo quod non in Sion posuit sed super Sion. Nam idèd super Sion fortassis dictum est, quia in Sion quidem regnauit David, super Sion vero regnum est illius de quo dictum est ad David de fructu ventris tui ponam super sedem tuam: de quo etiam dictum est per alium Prophetam, *super solium David, & super regnum eius sedem.* Vides quia vbique reperis super: super Sion, super sedem; super solium; super regnum. Dabit ergo ei Dominus Deus sedem David patris eius, non typicam, sed veram: non temporalem, sed æternam: non terrenam, sed celestem: quæ idcirco vt iam dictum est, memoratur fuisse David, quia hæc in qua temporaliter sedet, æternæ illius gerebat imaginem.]

*Arctata disputatio, ad regnum Christi,
ex obiecto temporale, &
spirituale.*

364 His ita constitutis, duplex Christi hominis regnum tractandum est: ad quæ duo membra faciliè reuocabitur multipliciter illa principatum quam in Christo distinguunt Anast. Sinaita lib. 4. Hexæm. apertans Christo quod de principatu solis facti in potestatem diei, habet Psaltes, & Moses Genes. 1. Attendit (inquit Anastasius) quemadmodum non dixerit in principatum, sed in principum. Multos enim habet principatus sol Iustitiae, multas potestates. Est enim princeps pacis, est princeps aut Dominus potestatum, est Rex Regum, est princeps & Dominus dominantium, est Rex gloriæ. Vnum habuit principatum lumen quod illuminat omnem hominem ante aduentum super terram, ante scæcula: hoc est cum eo est sine principio. Ita enim intelligimus illud *In principio erat Verbum* In patre. Non enim in principio sæculi, sed in principio genitore erat Verbum & Verbum erat apud Deum. Quando enim apparuit & exortus est in principatus diei sui aduentus, multos habuit principatus Nam postquam

postquam imperauit cœlestibus, imperauit etiam terrestribus, accipiens infirma in suam hereditatem, & possessionem suam finis terræ: & dominatus à mari ad mare, & fuit dux salutis nostræ, & fuit principium baptismatis, & principium incorruptionis ex mortuis, & principium vt Deus habitet in homine. Sic enim intelleximus Christum primogenitum in multis fratribus nostris, in quibus Deus per seipsum inhabitauit. Habet alium quoque principatum, seu principium hic cœlestis sol Christus. Ipse enim primus incipit, & viam nobis ad patrem inuenit, ac parauit, sublato sursum homine. Per hos ergo & huiusmodi principatus seu principia, intellige magnum esse luminare, in principatus seu principia Dei, qui illuminatur à solē, qui dicit sub intelligentiam, per duodecim h. nempe discipulos & Apostolos.]

Ego hos omnes Christi principatus, ad duo regna reuoco; quorum vnum temporale est, alterum spirituale. Temporale appello, quod ex obiecto tale est, quia scilicet temporalia omnia completitur: quamuis neque sit temporale ratione tituli, neque ratione durationis, vel instabilitatis. Titulus namque illius est spiritualis, & eminentissime supernaturalis: nimirum hypostatica vniō, vel paterina donatio, compensans supernaturalia Christi merita, aut hominum redemptio. Duratio autem & firmitas, eiusmodi est, vt de caducitate non periclitetur. Quia tamen obiectum eius sunt res naturales, æque potest denominari temporale regnum, ac regna humana: quæ cum ex aliis capitibus, tum etiam ex isto, dicuntur regna temporalia.

Primum, qui diffiteantur.

365 Hoc in regna omnia & prouincias, imo in Reges quoque ipsos, & in omnes homines ac Angelos, cunctaque iurisdictionis capacia protensum, Christi regnum, de quo agendum primo loco suscipio, non omnes admittunt. Negant enim illud esse Christo tribuendum, Vald. lib. 2. doct. a. cap. 76. Victor. relect. 1. de potest. Eccles. quæst. penult. à n. 15. Sotus l. 4. de iust. q. 4. art. 1. Medina 3. p. q. 59. art. 4. Thyræus l. de apparit. ad Iudic. c. 23. num. 6. Canilius, Salmeron, Maldonatus, Bartradius, Percius, Viegas, Castro, Valeoria, quorum loca signat Franc. Mendoza l. Reg. c. 2. annot. 15. sect. 3. num. 3. sequiturque Bonac. disp. 2. de Incar. q. 2. p. 2. Argumentum præcipuum huius sententiæ, dicitur ex Christi paupertate à regno & regni opibus adeo scindenda: vt expressam videtur illis Christi verbis Ioan. 18. *regnum meum non est de hoc mundo.* Itaque ex eo quod Christus Lucæ 12. rogatus iudicem agere in hereditate diuisione de qua lis erat, respondit; *homo quis me constituit iudicem, aut diuisorem inter vos?* Quod responsum, videtur aperte excludere regnum Christi de quo agimus. Astipulantur ad ea loca plurimi Patres, & alij quos magno numero appendit Bellarminus in recognitione libri 5. de Pontif. cap. 4. negantes Christo regnum civile in orbem, eiusque partem ali-

quam. Et sanè si Christus, huiusmodi regnum habuisset, alij illico desissent Reges esse. Et nunc, nulli quoque essent Reges. Christus enim præterquamquod est Rex in æternum, prout tamen visibiliter abest, transfudisset ad suum nunc in terris Vicarium regiam suam potestatem civilem: quod licet Iuisconsulti quidem aliquando censuerint, est tamen sine dubio falsum, vt bene contra eos probat Bellarminus lib. 5. de Pontif. c. 2. 3. & 4. & Suarez lib. 3. contra Iacobum cap. 5. Circa hanc totam controuersiam, anceps hæc sit Corduba l. 1. q. 57. dub. 1.

Astruitur humana & diuina autoritate.

366 Statuendum nihilominus est, Christum Dominum habuisse dominium iurisdictionis vniuersalissimum, quo omnibus omnino regnis ius dicere, & ipsos etiam Angelos gubernare potuisset, si ita tulisset eius voluntas. Ita sem olim egregie tradidit Bertrandus Card. Episcopus Eduensis lib. de origine & vsu iurisdictionum quæst. 3. sub finem. Ex recentioribus autem, ita præter ceteros asserit Rosenfens art. 25. contra Lutherum, Alfonso Mendoza relect. de regno Christi à n. 13. Molina tract. 2. de iust. disp. 28. concl. 5. Suarez 3. p. d. 48. f. 2. Vasq. ibid. disp. 87. cap. 2. Regula tomo 2. disp. 2. Præpositus 3. p. q. 22. dub. 2. Salaz. in c. 8. Prouerb. à n. 100. Iustin. 1. Petri 2. v. 25. à n. 27. Magalianus in Cantic. magnum Moysi sect. 3. annot. 3. Franc. Mendoza, l. Reg. c. 2. annot. 15. sect. 3. à n. 22. alique optimæ notæ DD. quibus planè consentit Sanderus lib. 1. visib. Monarch. c. 2. tametsi hoc Christi dominium, quia non fundatur in titulo humano, vocat spirituale: & commodius vocasset *supernaturale*, tametsi ex obiecto sit temporale.

Qua ratione plerique ex iis qui hinc Christi regno videntur aduersari, conciliantur. Negant enim dominium Christi civile & temporale, intelligentes regnum sæculare, & fundatum in titulo humano, ac coniunctum cum externo apparatu & pompa regia: quale regnum nequaquam Christo vendicamus, sed longè sublimius; expers quidem externæ pompæ, sed tamen directum in omnia planè mundi regna & imperia; atque adeo supernaturalè quidem quoad titulum, sed tamen temporale ex obiecto: quale autores in contrarium prolari inficiati fortè non essent, si eis distinctè propositum fuisset, prout illud nunc expressimus. Sanè Bellarminus qui l. 5. de Pontif. c. 4. temporale quoduis regnum abrogat Christo, recognoscens caput illud, fatetur cum Caictano in c. 1. ad Hebræos, fuisse in Christo dominium temporale directum supernaturalè, & expers externi apparatus, quale duntaxat nunc Christo damus. Nec id se negasse citato loco, ait; tantum autem negasse dominium iurisdictionis humano titulo nixum, & cum eo apparatu & pompa coniunctum, quam in secularibus regnis habere solet. Quod ergo Bellarminus motà postea distinctius lite, de hoc Christi regno aperte prodidit, æque fortassis prodidissent alij similes

militer locuti, si se dedisset occasio, & controuersia fuisset distincte propoſita. Alij uero ex iisdem autoribus qui regno huic Chriſti Domini aduerſari videntur, negarunt duntaxat, Chriſtum aſſumpſiſſe uſum eius, & exercitium iuriſdictionis ei reſpondens. Quod perſpicuum eſt ex eo quod Suarez qui loco proxime allegato tam perſpicue huic regno patrocinatur, tamen lib. 3. contra Iacobum c. 5. num. 15. cap. 17. allegato eo quem proxime dixi loco ſuo, ne quis immemoriā cauſetur; negat Chriſto iuriſdictionem regiam à ſpirituāli diſtinctam: intelligens uſum iuriſdictionis, & exercitium regie huius poteſtatis. Idem ergo ſentire & intelligere potuerunt plerique alij, negantes Chriſto regiam iuriſdictionem in vniuerſum orbem: hoc eſt non poteſtatem in actu primo, ſed uſum & exercitium eius.

367 Vt ut uerò ſenſerint hi uel illi autores, ſententia cui adhæſi, mihi uidetur conſentanea plerique ſcripturis, poteſtatem regiam vniuerſalem Chriſto tribuentibus. Sic enim Apocal. 19. Chriſtus dicitur *Rex regum & Dominus dominantium*. Et Matth. 28. Chriſtus ipſe, ait datam ſibi eſſe omnem poteſtatem in cælo & in terra. Vox *omnem*, ſignificat & dominium proprietatis, & dominium iuriſdictionis: nec indirectum tantum, ſed etiam directum. Alioquin non eſſet Chriſto data omnis poteſtas. Abſque huiusmodi item iuriſdictione, Chriſtus non eſſet conſtitutus hæres vniuerſorum, quandoquidem ſuos illius hæreditatis in vniuerſa, eſt regnum vniuerſale, & imperium (ut ſic dicam) æcumenicum. Item Ioannis 17. Chriſtus allocuens patrem ait; *dediſti ei* (de ſe loquitur,) *poteſtatem omnis carnis*. Alia loca adducit in hunc modum Iſid. Peſuſ. lib. 4. epiſt. 166. [Ipſe (inquit Paulus,) qui cum Patre pari poteſtate regnat, quique rerum ſupra mundanarum habenas tractat, & terreſtria quod uult ſelectit, homo factus eſt; & Imperatorijs armis in acie ſtetit: ut & illa ornaret, & victoriam hominum generi compararet, & noxios Dæmones in fugam uerteret, & ipſorum ducem magnum quiddam ſpirantem deſtitueret, & infinitis donis gratiæ impleret Eccleſiam. Rex (inquit Paulus,) militiæ principatum geſſit, non autem dux militiæ, Regia eſt dignitate decoratus: Rex ſuam ipſius dignitatem ſub forma ſerui occultauit, non autem miles dignitatem Regis ipſe ſibi arrogauit. Rex erat qui legem ferebat, non autem miles legiſlationem aggredi auius. Illud enim ego uerò dico uobis, Regi conuenit. Illud quoque; *uolo, mundus eſto*, Imperatoris eſt proprium dicere illud, *ſiat tibi ſicut uis*, cuius eſt qui abſolutam habet poteſtatem. Illud, *tace, obmuteſce*, Domini eſt: quæque ſunt cætera de genere iſto.]

*Firmatur ratione, expoſitis
eius titulis.*

368 Accedit optima ratio, quam pro vniuerſali dominio proprietatis, ſupra ex Apoſtoli textu eruiſimus. Chriſtum enim, cum ſit filius naturalis, oportuit eſſe hæredem

vniuerſorum. Atque filium Dei naturalem, æquè decuit ius in regna omnia & imperia, & poteſtas ſtatuerendi in eis, ac de eis quicquid luberet. Facitque id permulcum ad intelligendam depreſſionem immenſam Chriſti Domini, qui cum omnibus eſſet ſuperior, & Regum quoque ipſorum Rex, noſtri cauſa nouiſſimus factus eſt. Quo decore humiliatorem Chriſti ſpoliant, quo hoc illi regnum abrogant. Indicanit, imo expreſſit hunc reguli Chriſti titulum, Gregor. Nyſſenus orat. 4. (ueriſ 5.) contra Eunom. uerbis illis circa illud Petri Actorum 2. *eum Dominum & Chriſtum fecit*. [Apoſtoli non Domini exiſtentiam quæ antea ſecula, per Verbum ſecit, repræſentat, ſed humilis ad excelſum mutationem per dexteram Dei factam. Quin etiam per hoc uerbum, pietatis myſterium declaratur. Qui enim dixit, *quod dextera Dei exaltatus*, manifeſtè ineffabilem myſterij diſpenſationem euoluit: Quod dextera Dei omnium quæ ſunt eſt effectrix, quæ quidem eſt Dominus per quem omnia condita ſunt, & ſine quo nihil eorum quæ ſunt ſubiſtitit. Hæc uerum ſecum hominem, ad propriam ceſſandinem per temperationem extulit: quod quidem eſt ipſa ſecundum naturam, etiam illum faciens. Eſt autem ipſum, Dominus & Rex. Chriſtus enim Rex nominatur, hæc etiam illud effecit, ut enim in altiſſimo factus, ſuper exaltatus eſt; ſic etiam alia omnia factus eſt, in immortalis immortalis, in luce, lux. In incorruptibili, incorruptibilis. In inuiſibili inuiſibilis. In Chriſto, Chriſtus. In Domino, Dominus. Nam in corporalibus temperationibus cum pars altera, multa menſura exuberat, quæ minor eſt transformari ſolet in eam partem quæ præualeat, hoc etiam in myſtico ſermone planè per uocem Petri docemus, quod humilitas eius qui ex inſirmitate crucifixus eſt, ipſa autem inſirmitas carnem declarat ſicut de Domino audiuiſimus. Hoc autem per temperationem cum infinito & interminato non manſit in proprijs menſuris & proprietatibus, ſed dextera Dei ſublime elatum eſt; atque ſerui loco Dominus factus eſt; & pro ſubdito Chriſtus Rex; proque humili altiſſimus; & pro homine, Deus.]

Æquè liceat pro hoc Chriſti dominio aſtruendo, alios titulos uirgere, quos iam protulimus pro dominio proprietatis; nempe donationem Patris ad penſandam abiectionem tantam dilectiſſimi filij, & quoad homines redemptionem eorum. Firmat hos titulos ex Patribus Tolerus in c. 1. Lucae annot. 59. Sed eos iuſto minutiùs conuincit. Numerat enim quinque titulos regni Chriſti; nempe primò unionem hypotaſticam, ſecundò redemptionem hominum, tertio ius hæreditatis, quarto ius donationis, quinto ius meriti. Verum primus & tertius titulus non fuerant ſecernendi, cum uterque ſit unus titulus filiationis naturalis. Quartus item & quintus titulus, uidentur unus & idem, quamuis plerumque apud Patres & Doctores, conſentaneè ad varias ſcripturas, tituli regi Chriſti varijs illis modis exprimantur. Itaque tituli quos protulimus, uidentur ſufficiens, & ex

is optimè confirmatur veritas regni Christi. Nam sicut dominium iurisdictionis humanae, posito conueniente titulo, illico enascitur; ita & dominium istud iurisdictionis temporalis, resultare debuit positis praedictis eius titulis: qui sicut sunt fontes aliarum Christi praerogatiuarum, ita & Regium quoque decus conciliare Christo debuerunt. Non enim tam eximium tamque splendidum decus quantum est potestatis regiae, vt expositum est cum de obseruantia; vel indignum Christo fuit, vel ei negari debuit, cum sit reuera ingens perfectio. [Omniem dignitatem, regni nomen denotat] ait Gregor. Nyss. l. de Trinit. in fine probans Christum esse Regem.

Christus ad regnum factus.

369 Quod si sola naturalis dotum a-ximarum praerogatiua, aliquas iure a-ra aliorum Reges creat, vt autor est A-oteles, non dubium quin Christus praerogato omnes Reges caudices sunt, & ad agendum ineptissimi, Rex praecipuo iure haberi de-at. Et fuit sane Christus dominus ad re-tum veluti factus. Omnes enim dotes quas reuerentissimi regiarum praerogatiuarum ornatores Synellus, Dio, Prusaeus, aliqui in Rege deposcunt, illustrissime in Christum micuerunt. Reuocantur dotes illae ad tri-capita, intellectum prudentia exultu-voluntatem bene in subditos affectam, & p-utentiam ad tuendos suos, repellendosque hos-tes, & proborum remanentiam condi-gnam, malorumque vltionem praestandam. Quod aliter dicitur, exigi in optimo Rege caput, cor, & manus. Absque Regis pruden-tia, omnia in regno pesium irent. Absque potentia, Rex eneruis & inutilis. Ideò Aegy-ptij in sphynge humanam & leoninam for-mam necessebant, necessariam prudentis & potentiae copulationem in principe insinuan-tes, vt Synellus autor est oratione de regno. Nexus vero prudentiae & roboris in Princi-pe, ederet in apertam subditorum perniciem, nisi patetnus animus & voluntas beneuola erga subditos, in Principe viueret. Ha conser-uationes in humanis Regibus petraræ, & ægrè sunt eximiae. Nam cogitationes mortalium timidae & incertae prouidentiae. Affectus rem plerumque deprauatur, aut à subdito-rum duritie inflectitur, nec semper subest Regibus quod voluerint posse. In solo Chris-to, omnes hae dotes splendent luculentis-simè. Nam quid in eo ad prudentiam & sapientiam desideres. Vix seipsum regere no-rant alij. Qui autem seipsum nescit regere, quomodo aliis regendis par esse queat, vt Dio Prusaeus orat. 62. rectè disputat: Hic-eius notari in Christo non potest. Quid-erò adieci vel cogitatione queat, ad propen-sissimam voluntatem in suos, ipsa vita pre-clarissima abiectione testatam? Quid ad po-tentiam, cui nihil obfistere, nihil subduci, eamue declinare & renitentem potest? Infir-mas quidem eius voluntatiè assumpta, concu-piscentibus Iudæis imposuit. Sed quod infir-mum est Dei fortius est hominibus, idque

reuocato Christo ad coelum perspicuum fuit, cum omnes Christo cesserunt. Quod eo ma-nus Moysis portento expressum notant S. Ambrosius l. 1. offic. cap. 14. & S. Cyrillus in scholiis de Incarn. vnigeniti cap. 15. ac Pe-trus Dam. serm. de S. Columba, cum educta est è sinu manus Moysis leprosa, & infirma visa est: reducta verò in sinum, vegeta & sana apparuit. Erat ergo Christus omnibus opti-mi Regis dotibus exornatus, & factus, ad regendum.

Depulsa nonnulla in contrarium

370 Vt autem hæc veritas plenè stabi-liatur, occurrendum est duplici incommodo quod in contrarium obtendi potest, & supe-rius vidimus opponi. Vnum est Christi pau-peritas, & regni carentia, quam ipsiusmet Christi testificatione compertam habemus, cum dixerit: regnum suum non esse de hoc mundo; & negauerit se constitutum iudi-cem ad diuidendam inter litigantes hæredi-tatem. Verùm regia potestas de qua agimus, non pugnavit cum Christi paupertate: quia vi huius potestatis, nihil possedit dominio, sed tantum imperio, vt superius loqueba-mur. Opes enim quæ regiam magnificen-tiam asseclari solent in sæculo, per accidens se habent ad dominium iurisdictionis, quo Regia potestas constituitur. Vnde olim ple-risque, in iurisdictionibus regiis amplissimis, per tenui censu. Itaque cum dominium pro-prietatis non officere Christi paupertati sit demonstratum, opes autem quas Reges pos-sident, spectent ad illud dominium, non au-tem ad dominium iurisdictionis, constitui-tum Regiæ potestatis, non est quod à Chris-ti potestate regia, timeatur illius paupertati. Christus verò paupertatem suam profitens, nunquam se Regem negavit. Dixit quidem se non esse Regem de hoc mundo, non ta-men negavit se in hoc mundo verè & pote-estate Regem esse, vt optimè distinguit San-derus l. 2. de visib. Monarch. c. 1. & l. 1. de clauē David c. 7. vbi diligenter attentata seriè contextus, eum locum versat. Imo disertè idem habet S. Bernardus serm. 1. de Epiph. [Egredimini (inquit), & videte Regem Salo-monem, Nam vbique Rex est. Licet enim regnum suum non sit de hoc mundo, tamen Rex est, etiam in hoc mundo. Interrogatus siquidem, ergo Rex es tu? Ego (inquit), in hoc natu sum & in hoc veni in mundum. Præ-terquam quod Christus respondebat ad mentem Pilati interrogantis, qui querebat an Christus, qualiscunque exterius appete-ret, obtenderet titulum aliquem humanum & caducum ad Iudææ regnum: vel per po-puli seditionem, illud captaret. Ita enim sæ-pe Iudæi ad constandam Christo inuidiam calumniati erant. Similiter quod Christus interrogauerit, à quo esset constitutus Iudex in causa diuidendæ hæreditatis, non probat Christum caruisse sufficiente ad actum illum potestate, si libuisset: sed tantum probat, Christum spiritualibus intentum, refugisse tractare temporalia; eaque interrogatione declinasse negotium, fini ob quem venerat

minus consentiens, ut persona Deo Sacra, quas in rebus Patris celestis esse oportet, haberent quod imitarentur, nec se implicarent negotiis secularibus. Videndus plene de hoc loco Sanderus l. 1. de clauē David cap. 8.

371. Aequē inefficaciter aduersus Christi regnum vegebantur Patres, qui reuera aliud nolunt, quā quod diximus: defuisse scilicet Christo titulum regni caducū, & apparatus regum externum, qualem Iudaei in suo Messia expectabant, & cuius defectu Christum despicebant auersum ab eo Christum experti: quamvis malignē ad constandam ei inuidiam apud Pilatum, (ut sunt seculares Principes, eorumque ministri in huiusmodi rebus suspiciosissimi) effestationem regni impingerent Christo. Hoc igitur duntaxat negant Patres, non autem legitimum regni titulum, aut verum Christi regnum quale exhibuimus.

Alterum quodd aduersus Christi regnum intorquebatur, erat incompatibilitas regni Christi cum regnis secularibus. Sed hunc esse vanum timorem, Ecclesia vsurpato sedulij carmine iam olim professā est, sic canens *non eripis mortalia, qui regna dat caelestia*. Quamuis enim regnum Christi contineatur directo Iurisdictionis dominio in omnia Iurisdictionis obiecta; tamen ut supra quoque diximus circa dominium proprietatis, hoc regnum est diuersi ordinis à regno seculari; habetque originem longē diuersam, nec plus excludit regna inferiora & humana, quā ea excludat regnum Dei; increato titulo, & creationis iuri innixum. Quod si dominatio seu Iurdictio regia, probe cohaeret cum subalterna Iurisdictione immediatorum dominiorum & toparcharum; quanto magis Iurdictio Christi cohaerebit cum regnis secularibus, quibus aequē altior est & eminentior, ac in humanis regia potestas est altior potestate Baronum vel Toparcharum. Hæc cum ita sint, non est probandus modus loquendi quo vtuntur val. 3. p. d. 1. q. 22. p. 6. Salaz. in c. 8. prouerb. n. 101. vocantes, Reges seculares, *Christi Vicarios*. Sensus quidem horum Doctorum non est illegitimus. Tantum quippe volunt, principes seculares posse à Christo deiici, si solus regnare veller. Tamen locutio qua vtuntur, sonat potius Reges seculares habere à Christo Rege potestatem regiam qua potiuntur: quod verum non est, cum haberent eam titulo humano, & non transfusam à Christi, prout est homo. Præiuerat his Doctoribus, præfatus D. Thomas l. 3. de regim. princ. c. 13. (non esse enim verē D. Thomam libri illius parentem, demonstrasse videtur Bellarm. l. 5. de Rom. Pontif. c. 5. ad vltimum) Docet ergo autor ille, Augustum ex quo Christus natus est, Christi Regis vicarium duntaxat fuisse: & idcirco instinctu diuino veruisse, ne quis *Domini* appellationem sibi deferret. Verum Augustus nihil nisi inuidiosi nominis extenuam speciem ea reiectione auersatus est, de quo plenē Bulengerius l. 1. de Imperatore c. 32. Vices autem Christi egisse dici non potest, cum esset potius Tyrannus, & oppressor

libertatis Romanæ Reip. qua in re subalterna Christo Iurisdictione potius dici non potest. Multominus sunt nunc Reges, Vicarij Pontificum Romanorum. Nec tales esse sequeretur, etiam si Reges essent Christi Vicarij. Non enim omnis Christi potestas, ad Christi Vicarium transmissa est; sed tantum ea, quæ bono Ecclesiæ regimini ad finem spirituales necessaria erat; cuiusmodi non fuit potestas regia. In quam rem plura Suarez l. 3. contra Iacobum c. 3.

Christus vi huius regni, substantiam cuius humano regno.

372. Fixum igitur esto, Christum fuisse verum Regem orbis vniuersi, titulo altiore quā sit titulus vllus humanus: eoque nomine indubitata esse debet Christi exemptio à quauis Iurisdictione seculari & creata, ut definiuit Ioan. 22. in Extrau. *litteris Apostolum*, cuius meminit Turrecr. lib. 4. summe de Ecclesia parte 2. cap. 37. contra impios hæreticos Marfilium Patavinum, & Ioannem Iaudunum. Significauit ipse Christus Ioannem hanc exemptionem Matth. 17. responsio illi quod Petro dedit, monitus quid ipsi dictum esset à publicanis, quærentibus de non soluto per Christum tributo quod subiectionis nomine pendebatur. *Reges terræ à quibus accipiunt tributum? A filiis suis an ab alienis?* Respondente Petro accipere ab alienis, subiecit Christus *ergo liberi sunt filij*. Quali diceret, si Regum secularium filij, exempti sunt à pensatione tributogum, voluntate & beneficio patris, qui non vult proprios filios ministris tributorum exactoribus subiectos quanto magis ego, qui filius sum Regis Regum, eximar à talis tributij debito, atque adeo etiam à Iurisdictione, non voluntate terreni Regis cuius non sum filius, sed voluntate æterni patris, qui est super omnes Reges: nec humanitatem quam in vnitatem personæ cum filio suo adiecit, vult esse obnoxiam humanis debitis ex Iurisdictione humana oriundis? Est enim argumentum à fortiori. Subdit Christus. *Vi autem non scandalizemus eos, vade ad mare, &c.* aperte significans, se idcirco tantum velle soluere quod exigebatur, ne scandalum cuiquam ingeneret: quamuis sibi satis conscius esset naturalis immunitatis. Hunc illius loci sententiam attingit Bertrandus Cardinalis l. de origine & vlu Iurisdictionum q. 3. in fine, & eundem locum confirmat Suarez lib. 4. contra Iacobum c. 3. Neque verò suæ isti exemptioni derogant Christus, cum falsus est, datam in se potestatem Pilato desuper. *Datam enim intelligit id est permissam*, ut sæpè alias vsurpatur similitudo diuina concessio. Vnde potestas sic data, non erat potestas iuris, sed facti solius, vel quod Vasques l. 2. d. 99. c. 1. affirmat, non erat potestas Iurisdictionis, sed vis & facultas nocendi, quam Christus facillimè se despicere potuisse significabat; nisi obstitant Patris consilia, quibus non refragari, froni debebat.

An etiam materna potestati.

373 An verò hæc Christi exemptio, extendatur quoque ad maternam potestatem, ita ut ne parentibus quidem subesseret, nisi subiectione voluntaria, & ad exemplum quamvis absque obligatione non refert ad hunc locum; quia potestas patria non est dominium, neque iurisdicção de qua nunc egimus, & à qua sola Christum exemimus: sed est potestas alterius rationis, nec incompòssibilis cum suprema regia potestate, iugi tantum cuiusvis non domesticæ, impatiens. Cœterum ut hoc quoque nunc obiter addam, graves DD. æquè Christum domestica hac subiectione liberant, ac subiectione externa iurisdiccionem principis respiciente, & ingenuitatem excludente: quamvis fateantur, quod S. Lucas cap. 2. dixerit tradit, Christum matri & ab eam marito Iosepho, fuisse de facto, voluntariè & absque obligatione subditum, ut filios doceret non modò reuereri parentes, quod est iuris diuini naturalis, cui Christus quoque fuit obnoxius, sed eis etiam obedire, ad quod non tenebatur. Ita Titus Boetius, & Toletus, ac Franciscus Lucas, ad illa verba capitis 2. Lucæ & erat subditus illis. Propositus 3. p. q. 20. art. 2. dub. 2. num. 25. Bonac. disp. 2. de Incarn. q. 14. p. 1. num. 11. Præiuissè videtur Nyssenus orat. in illud Apostoli, *tunc & ipse filius subicitur ei* sub initium. Pugnat tamen pro contrario placito, & Christum patriæ matri potestati subicit, Salaz. in c. 8. Prouerb. v. 16. à. n. 142. adducens SS. Ambrosium, Methodium, Hippolytum, ac Bernardum; quos alterius partis autores facillè explicabunt de voluntaria ad matrem subiectione, & naturali debito reuerentiæ ac cultus, citra obediendi obligationem. Et verè S. Ambrosij mentem ferre perspicuè videntur illa eius verba ex l. 8. in Lucam, ad illud *honora parentem*, postquam aliqua ad liberos in parentum cultum succedendos præmisit. [Honorabat igitur Ioseph & Mariam Christus, non naturæ debito, sed pietatis officio.] vide quæ in hanc rem totum habet Richardus à S. Laurentio l. 3. pag. 191. de Priuilegio B. V. filio imperandi & quomodo hoc etiam in Patria perseveret.

Prærogatiuæ huius regni Christi, supra omnia humana.

374 Sic stabilitæ regis Christi potestatis, perfectiones ac prærogatiuæ supra alias quas regis iurisdiccionem, permultæ sunt; quæ ad certa capita iis consumillima quæ circa dominium proprietatis considerauimus, reduci facillè possint: nempe ad obiectum, titulum, durationem, & stabilitatem: ex quibus omnibus capitibus, tantoperè regis quibusvis potestatis præcellit Christi potestas regia, ut iure dixisse videatur Rupertus lib. 7. de victor. verbi Dei cap. 14. tractans illud Sapientie 8. *in simulatum imperium tuum portans regna omnia*, (de quibus per bestias Dan. 7. expressis fusè disserit eo libro à cap. 11.) præ

Christi regno, esse commentitia & simulata. [Et quid est (inquit) *non simulatum imperium*, nisi imperium verum? quod cum dicitur, vel intelligitur, nonne è contra, hominum imperia simulata esse perhibentur? Verè simulata non vera imperia bestiarum, imperia hominum bestialium; quæ ita tempus, occidendi ut bestiarum potestatem perierunt: ad vitam autem nec sibi, nec aliis prodesse potuerunt. Ille omnipotens sermo, in simulatum portat imperium, verum tenet regnum, cuius regnum & imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Et iam quidem tale imperium portabat, sed nondum apparuerat. Apparuit factus filius hominis, & quod habebat in forma Dei, in simulatum imperium, accepit in forma serui: secundum pulcherrimum spectaculum tantæ illius visionis, & ecce in nubibus celi quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum, peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & lingua, ipsi seruiunt: potestas eius potestas æterna quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.] Notari possunt in hoc Danielis loco, omnes illæ quas proferebam, regni Christi perfectiones.

Extensio in regna omnia, & Reges.

375 Ac primum ea quàm petebam ex obiecti extensione. Omnes enim populi, & tribus, & lingua, sunt huic Christi regno obnoxii. Nec viui duntaxat, sed & mortui ubique degant: ac non homines tantum, sed & Angeli. De Angelis est egregius locus Augustini in psalmum 8. [Quandoquidem (inquit), & Angeli sunt opera manuum Dei, etiam super Angelos constitutum accipimus Vnigenitum filium, quem minutum paulominus ab Angelis per humilitatem carnis generationis atque passionis, audimus & credimus. *Omnia* (inquit) *subiecisti sub pedibus eius*. Nihil excepit cum dicit *omnia*. Et ne aliter liceret intelligi; sic Apostolus credi iubet, cum dicit, *excepto eo qui ei subiecit omnia*: & hoc ipso huius psalmi testimonio vtiunt ad Hebræos cum ita vult omnia intelligi esse subiecta Domino nostro Iesu Christo, ut nihil exceptum sit. Nec tamen quasi aliquid magnum videtur adiungere, cum dicit, *oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi: volucres celi, & pisces maris, qui perambulant feminas maris*. Videtur enim relictis cœlestibus virtutibus, & potestatibus, & omnibus exercitiis Angelorum, relictis etiam ipsis hominibus, tantum ei pecora subiecisse. Nisi oues & boues intelligamus animas sanctas, vel innocentie fructum dantes vel etiam operantes, ut terra fructificet: id est ut terreni homines, ad spiritalem vbertatem regeantur. Has ergo animas sanctas, non hominum tantum, sed etiam omnium Angelorum, oportet accipere; si volumus hinc intelligere, omnia esse subiecta Domino nostro Iesu Christo. Nulla enim creatura subiecta non erit, cui primates, (ut ita dicam) spiritus subiciuntur.]

Nihil

Nihil ergo dimisit Pater, non subiectum Christo Regi. Fusè in hanc sententiam disputat Cyrillus Hierosol. catech. 10. & post multa ex variis scripturis de vniuersalissimo Christi dominio, concludit. [Dominus igitur est filius Dei: Dominus qui natus est in Bethlehem Iudæ, sicut Angelus dixit pastori- bus, *Euangelizate vobis gaudium magnum quia natus est vobis hodie Christus Dominus in ciuitate David.* De quo alibi dicit quidam ex Apostolis, *sermonem misit euangelizans per Iesum Christum: hic est omnium Dominus.* Quando autem dicit omnium, nullam deminij partem excipit. Siue enim Angeli, siue Archangeli, siue Principatus, siue quidpiam eiusmodi, è rebus creatis ab Apostolis nominatum, omnia sunt dominio filij subiecta. Angelorum est Dominus, sicut habes in euangelis, *tunc recessit ab illo diabolus, & Angeli accesserunt & ministrabant ipsi, quod est officium seru- tuitis.*]

Reges ipsi seculares, sunt Christi populus. Ita enim ex Hebræo plerique illud psal. 109. *tecum principum*, vertunt hoc modo, *populus tuus, principes.* & Apocal. 19. *in femore*, id est in humanitate Christi, legitur *Rex Regum & Dominus dominantium.* Quo loco Spiritus sanctus verè in Christum cadere docet, titulum quem Persarum Reges stultè sibi arrogabant: quod pluribus illustrat Pineda Iobi 1. versu 1. num. 17. Expresum id esse in Scri- pturis, cum Christus dicitur *unicornis*, docet his verbis Origenes homil. 16. in Num. ad illud *avis fortitudo similis est rhinoceroti.* Ipse legit, *gloria eius tanquam unicornis*, sic verò il- lud glossat. [In Scripturis diuinis eorum pro regno positum, sæpè reperimus: sicut & propheta dicit, *quatuor autem cornua, quatuor regna sunt.* Sub nomine itaque unicornis, in Christo hoc videtur ostendi, quia omne quod est, vnum eius cornu est; hoc est, vnum reg- num eius. Omnia enim pater subiecit sub pe- dibus eius, viquequo & nouissimus inimicus destruaturs mors. Tanquam unicornis, vnum omnium regnum, tenet Christus.]

Inde Christus Rex Regum, & Rex absque addito.

376 Omnia taque etiam si hinc eminen- tissima, subiacent dominio & iurisdictioni Christi. Quod agnouisse Iudæos refert Mel- chior Flavius l. de regno Christi c. 3. allegans ex Beressij Rabba, decem à Doctoribus He- bræis statui vniuerso orbi dominatos: primò Deum, secundò Nembrothum, tertio Iose- phum, quartò Salomonem, quintò Nabu- chodonosorem, sextò Darium, septimò Cy- rum, octauò Alexandrum, nonò Octauia- num, decimò Messiam; per quem aiunt reg- num reductum ad Dominum & Regem primum: Hocque aiunt esse, quod Deus de se dixit, *ego sum primus & nouissimus*, Isaia 44. Inepta quidem interpretatio, multos Reges vniuersales falsò proferens. Quoad vniuer- sale tamen Messia regnum, exosculanda. Et hinc maximè sublimitas Regis nostri est co- gitanda, quod sit Rex Regum, & subia- tur ei Reges terræ, ac Principes populorum,

iuxta promissum Dei Patris, in scripturis in- numeris, sed nominatim Isaia 45. verbis illis expressum, *Ego ante te ibo, & gloriosus terra hu- miliabo, & dorsa Regum vertam.* Dissertit in- signiter de eo loco D. Aug. orat. de Shazet, cap. 7. his præter cætera. [Hic esto & tu Pa- gane. Audi quid dicat Propheta. Non mihi ego quod volui scripsi. Codex in quo hæc scripta leguntur, in armario Iudæi habetur. Inimicus meus, testis est meus: ab ipso quæ- re, aperi, lege, & crede. *Dorsum* (inquit) *Regum vertam, & gloriosus terra humiliabo.* Nonne Reges terræ vides, qui ante persequuntur Christianos, nunc integros esse Christianos: nonne vides eos qui humiliabant Ecclesiam, humiles introire in Ecclesiam? nonne ipsos habere defensores, quos ante habuit persecu- tores. *Ego* (inquit) *ante te ibo, & gloriosus terra humiliabo, portas cereas conteram, & vallum ferreos confringam, & dabo tibi thesaurus abs- conditos, & arcana secretorum, ut scias quia ego sum Deus.*]

Subiacent itaque Christo tanquam Regi, de Scripturarum sententia, quotquot hic apud homines, audiunt Reges. Non displicet tamen sapiens cogitatio Origenis hom. 6. in Iudic. qui Christum *Regem Regum*, regno in Christianos omnes, dictum putat. Exponens enim illud Cantici Deborah, *audite ergo Reges & auribus percipite Satrapæ*, sic exponit Reges illos. [Reges appellat eos, qui conuocantur ad audiendum Verbum Dei. Exulta popule Dei, audiens tuæ nobilitatis insignia. Tu vocaris ad audiendum Verbum Dei & non re- plebs sed ut rex vocaris. Tibi enim dictum est, *genus Regale & Sacerdotale*, populus in ac- quisitionem. Idè quia vos Reges estis, meretò Rex noster Christus Dominus, Rex dicunt Regum, & Dominus dominantium.] Vnde insert in hunc modum, quantum studium re- gionum morum, debeat esse Christiano. [Sed sicut exultatis de nobilitatis vestre titulo, ita discere debetis, quid agendo vniuersique vestrum fiat Rex. Quod vobis ita breuiter definiam. Regem te omnium esse facit, si re- gnet Christus in te. Rex namque à regendo dictus est. Si ergo & in te animus regnat, & corpus obtemperat, si concupiscentias carnis sub iugum imperij tui mittas; si victorum gentes, sobrietatis tuæ frenis arctioribus præmas; meretò Rex diceris, qui te rectè agere noueris. Cum ergo talis fueris effectus, digne ut Rex ad audienda diuina verba vocaberis.] Hæc inquam Origenis de nomine *Regis* Re- gum opinatio, non displicet: dummodo non excludatur, quæ ex vocum cortice obuia est, ipsosque etiam mundi Monarchas, Christo subiicit. Et inde liquet, Christum Dominum citra omnem inuidiam dici posse Regem Maximum, longè fundatiore iure quam Abrahamum, quem primum, dictum esse Re- gem Magnum & duplici vsum esse diadema- te, scribit Herodianus l. 6.

377 Ex tanta regni Christi extensione, fit ut cum alij Reges non denominentur Re- ges nisi cum restrictione, puta Reges Gallie, Hispaniæ, &c. Christus tamen simpliciter & absque addito restringente, Rex dicatur. Per- pendit id pulchrè S. Chrysostomus in psal. 44.

ad illud, *Dico ego opera mea Regi.* Non agit Chrysostomus de Regno Dei in se, sed de regno Dei in carne assumpta. Pramiserat enim totum palam Christo dicari, & ad eum pertinere. Is ipse igitur est, quem Chrysostomus, quia rex est vniuersorum, censet simpliciter & absque addito, dictum esse *Regem* à Davide. Inde item S. Paulinus epist. 39. Christum à Cæsare & quocunque terreno Rege secerit [quod non quicunque terrenus Rex, totius terræ Dominus est. Christus autem, totius mundi Dominus & Rex est, quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et ipse est Rex Regum, & Dominus Dominantium, & in terris, & in mari, & in abyssis, omnia quæ vult facit.] Pertinet quoque ad hanc regni Christi præcellentiam ex obiecti extensione petita, quod cum cæterorum Principum in subditos potestas sit valde mutila; (neque enim subditos habent seruos aut mancipia;) Christus omni nexu deuinctus sibi habeat puras quasque creaturas; deque eis prout libuerit possit disponere. Agnouit id Centurio ille qui Christo agnouit subesse morbos, æque ac sibi milites.

Tituli eiusdem Regie Christi potestatis, præcellentiissimi.

378. Iam titulus regni Christi in citato superius Danielis loco, profertur patris donatio, quæ duplex potest intelligi: Nempè primò ipsius in se regie potestatis, immediatè collata ob meritum, & pactum hominum redemptionem. Quæ regni Christi titulum, immeritò negat Præpositus 3. p. q. 19. n. 33. Agnoscat autem dilectus S. Bernardus, inde se valde Solatus, ut habet in eius vita Gulielmus Abbas lib. 1. cap. 12. Intelligi secundo potest ea regni donatio, facta in radice sua, nempe in hypostatica vnione, quæ fuit donum patris. Neque enim alio titulo Christi humanitas accepit vnionem cum Verbo, quam quia Patri placuit eam donare. Donatio autem vnionis, quia infert filiationem naturalem, fuit mediata & radicaliter donatio vniuersalissima regie potestatis, debita filio naturali.

Hæc recognoscenti mihi, venit in manus Interpres recentior, ingeniosus æque ac eruditus, qui suo antilog. 6. in Cant. f. 1.2. n. 115. nouam & peculiarem in Christo regiam potestatem post resurrectionem agnoscens, expressam à Christo verbis illis Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in celo & in terra,* illius titulum statuit esse liberam & vltimate hominum Christum sibi in regem diligentium, additionem. Præter dominium namque diuinum, à creatura independentem, quod Deus exercet in & irrationalia & inanimata, datur alterum quod Deo aduenit, dependenter à creatura: cuiusmodi est oblatio spontanea per vota, aut nexum religiosum, aut per susceptionem Christianæ fidei, cui adiungitur obligatio sponte suscepta, parendi mandatis Christi. Hunc nouum regni titulum, Christus ante resurrectionem non habuit; accepit autem mox à resurrectione & ascensione sua, per gentium & multorum Iudæorum conversionem. Nam quod mox efficiendum est, habet

Theophili Raynandi Opus. Theol.

tur plerumque pro iam facto, ut ex variis scripturis demonstrat Sanctus in cap. 9. Amos n. 51. Et arctat quidem Autor cum quo agimus, dominium ex hoc titulo procreatum, ad rationalia, quia sola pollent arbitrio libero, quo se Deo mancipent. Tamen facile esse intelligere, per hominis subiectionem, cætera quoque homine inferiora mancipari eidem, cui homo addicitur.

Nam est nunc animus hunc dominij iustificationis in Christo nouum titulum conuelleret: cumque traditum iam pridem video à Cabasila in explicat. liturg. cap. 40. qui interpretatur de eo illud psalmi 2. *Dabo tibi gentes hereditatem.* Hunc igitur nouum titulum, hoc loco impugnare non sum sollicitus. Exiis enim quæ infra dicemus circa titulos spiritualis regni Christi, patebit sine verè hic numerandus inter titulos huius regni. Sed quamuis gratis detur, eum titulum esse idoneum; displicet tamen quod censetur per eum fundari potestas de qua Matth. 28. Nam si ibi Christus, non de potestate danda sibi per humanæ voluntatis diuinitus præuentæ spontaneam collationem, sed de potestate data à patre, appetit agit: cum non modo de potestate in terram data agat, sed etiam de potestate data in celum, quæ hominum concessione non erat obuentura. Præterquamquod non omnes homines erant. Christ datur potestatem in se ipsos, cum plerique essent non conuerendi; & tamen Christus omnem potestatem se accepisse in terram proficitur. Nec rectè potestas postea danda ab hominibus, dici potuisset iam data; quo pacto loquitur Christus. Subiectio enim maximæ hominum partis ad Christi dominium, non erat illic futura, sed vsque ad finem mundi, sensim perficienda. Tunc autem duntaxat fert vsus, ut aliquando res facta dicatur, cum per breui est facienda; quod in re de qua agimus, locum non habet. Quare hic titulus dominij, annumeretur sanè cum aliis, sed ut in adequatus duntaxat, alibi fundatus, quam in scripturis propositis.

379. Quantopere verò omnes hi tituli regni Christi antecellant humanis quibusvis titulis regnorum, non est quod exponam. Omnes quippe tituli humani, vel ex voluntate subditorum, qui regi ab aliquo eiusque posteris censentur; vel ex iure belli, aut ex tyrannide & iniusta oppressione alienæ libertatis, ortum habuerunt. At Christus, vnicum, nec nisi inadæquatam dominij sui titulum, habet ex hominum sponte se ei subiicientium collatione: quam aspernari facile potuisset, & homines aliis sibi titulis independentibus ab humano arbitrio addictos habere velle, nisi summa eius humanitas hanc quoque gratiam nobis elargiri dignum duxisset. Hoc igitur minuto titulo, cuius anceps iustitia & veritas est, prætermisso; Christus partem sui iuris regij, ex patris immediata donatione habet: quo titulo quid potest magis innoxium, aut iustius esse, cum Deus in cuius manu sunt omnium potestates & omnium iura regnorum, possit de eis tanquam de re sua, citra vilius iustas querelas disponere, eaque in quem libuerit pro potestate conferre? Partem verò alteram titularum regni sui, habet Christus ab ipsa natura: quatenus eo ipso quod

Y

talem

talem naturam à Patre accepit, consequens est ut omnium dominetur, & plenissimam ac vniuersalissimam iurisdictionem in omnes obtineat. Notauit hanc regni Christi supra humana præcellentiam, S. Chrysostomus ad illud psalmi 109. *Tecum principium*, quæ verba sic glossat. [Quid est *tecum principium*? In te (inquit) est principatus, qui non postea accessit, sed in te est perpetuus. Quod etiam Elaias similiter significans dicebat; *cuius principatus super humerum eius*, hoc est in ipso & substantia eius, in natura eius. Quod quidem non inest in regibus. Principatus enim eorum est in multitudine exercitus. Quod non erat in Apostolis. Nam ipsorum quoque principatus, fuit operatione eis importata extrinsecus. Ipse autem habuit principatum in natura, & in substantia: ut qui non eum accepit postea quam fuit genitus, nec extrinsecus importatum aut aduentitium possederit, sed quod ita sit genitus. Et idem de regno quoque interrogatus, dicebat; *ego ad hoc natus sum. & ad hoc veni.*

Profecit haud dubie ex Chrysostomo Cantaculenus Apolog. 1. contra Saracenos *sub medium*, ubi eundem Psalms locum de Christi Dei & hominis tegno exponens, sic habet. [Non est humanarum virum, ut penes aliquem sit principatus illius sed Dei est. Omnes enim homines, tantummodo extrinsecus ad ipsos delatum imperium possident. Nam tam Princeps quam Rex aliquis, sæpe priuatus sine imperio nascitur, & licet paternum administret imperium, nihilominus tamen in hoc quod ante non habebat, eum paternus hæres succedit, vel propria virtute & egregiis factis regnum acquirit, vel iniustus in alios alterius regnum violenter eripit, & hoc modo etiam ille alterius regnum quo ante carebat, occupat, sed alius ab his modis regnum acquirendi non est; ingentem vero sibi & inseparabilem se potestatem homo non habet præter hanc solam, qua in affectus proprios & liberos ex se genitos vitur: quam solam in homine videre licet. In Deum autem hoc quod modò dictum est, non competit. Quapropter & Elaias de Christo vaticinatus inquit, *cuius principatus super humerum illius*: id est, naturalis erit & ab illo inseparabilis. David etiam in alio Psalmo sic dicit. *Regnum tuum regnum seculorum omnium & dominium in omnes generationes generationum.* Quod idem in præfati loco dicit; *penes te est principatus in die potentia tua.* Hæc est inunctio Christi in Regem, ex vnguento virgulti vitæ, ut est apud Clementem Romanum lib. 1. recognitionum (pag. 12.) & epist. 3.

Initium eiusdem regni, à primo vitæ Christi momento. Stabilitas, perpetua.

380 Hinc habetur, regnum Christi non aduenisse ille pocedente tempore, sed à primo momento conceptionis. Nam ex eo puncto habuit Christus vnionem hypostaticam, quæ est regni Christi fundamentum. Et ita asseruit (ut vidisti.) S. Chrysostomus, & significant alij proximè adducti. Non igitur satis prouexit inchoationem

regni Christi præteritus D. Thom. 1. 3. de regimine princ. q. c. 14. cum dixit, regnum Christi incepisse à prima die natiuitatis: agisque appetit non de natiuitate in vtero, siue de conceptione, sed de natiuitate ex vtero, in qua vult incepisse Christi regnum, quod liquet ex dictis verum non esse. Nec valent argumenta, ex quibus patere ait hoc exordium regni Christi, nempe quod eo die Angeli Christo ministraverint, annunciantes natiuitatem eius: & quod per illud tempus, venerint Magi, scilicetantes ubi esset, qui non factus ab hominibus, sed natus erat Rex Iudæorum. Hæc inquam argumenta, nullomodo conuincunt id ad quod alliguntur. Quamuis enim producantur ea die ministrasse Angeli Christo, & Magi nomine omnium orbis prouinciarum, ut scilicet commemoratur Rupertus lib. 2. in Matth. & idem Petrus Babyon, (falsò dictus Anselmus), venerint sub idem tempus Christum Regem agnoscere, & demisse venerari: prius tamen Rex erat, cuque etiamnum in vteri virginis throno sedenti, stabant tremantes Angeli, veluti sexaginta illi fortes veri qui Salomonis lectulum ambabant. De quo loco alibi. Multo tardius regnum hoc atque dominium Christi, videri poterit distulisse Petrus Damiani serm. de S. Michaelis, exponens visionem Isaie, qua Dominum sedentem conspexit. Sic enim scribit [Filius Dei, triginta & tribus annis seruus fuit, non Dominus. Minister, non magister, vilis, non gloriolus: & licet dixerit discipulis, *vos vocatis me magister & Domine, & bene dicitis*; sum etenim. Et, *ego sum rex mundi*: pauci tamen verborum altitudinem notauerunt; Phariseis inuidientibus, Iudeis non credentibus, & illum arguentibus præsumptiosis. Sed postquam resurrexit à mortuis & in triumphali sede receptus est, imperatoria decreta propakata sunt orbi, fixique crucis, in totam mundi latitudinem, suæ dominationis insigne. Iam maiestatis nominibus circumfunditur, ille pauper & vnicus, & seruilium nomen vilitate dimota, Rex Regum, & Dominus Dominantium, multa luce præfulgurat.] Itaque videtur Damiani hoc Christi dominium, ad tempus resurrectionis, vel etiam ascensionis, differre. Potest tamen facile exponi, non de regni possessione, aut iure ad illud, sed de manifestatione vtriusque.

381 Stabilitas & verò etiam perpetuitas regni Christi, de qua in postremis verbis ex Daniele propositis, æque certa est, & à caducitate immunis, ac perpetuitas titulorum in quibus fundatur. Idque Sanctus Chrysostomus in psalm. 109. significum verbis illis Psalms, *tecum principium*, hæc *tecum principatus*. Præfatus enim significari verbis illis dominium Christi, ac regnum, competere illi à natura, subdit. [Non hæc autem solùm quæ dicta sunt significat illud *tecum principatus*: sed etiam alia: utpote non esse eius principatum in alio, sed eum esse perpetuum & immortalem. Homines enim is vel viuentes læpdeserit: & si non viuentes, certè omnino mortuos. Imo verò quod maius est, ne dum viuunt quidem, est cum eis; sed ut iam dixi, in

exercitibus & satellitibus ac corporis custodi-
bos, in magna vi pecuniarum, manibus, & aliis
omnibus. In Deo autem, non modo non ita est,
sed in ipso est, & perpetuo. Et quemadmodum
fieri non potest, ut non sit eius substantia, ita
etiam ut non sit regnum.]

Iam monui, agere ibi Chrysostomum, non
de Deo nude sumpto, sed de Deo carne vestito:
& quamvis Christi substantiam definire non
sit absolute impossibile, est tamen impossibile
ex diuini decreti suppositione: ad quam respi-
ciens S. Chrysostomus, dixit ita esse impossibile
definire regnum Christi, sicut impossibile est
definire Christi substantiam, in qua regnum
Christi fundatur. Hanc regni Christi preroga-
tiuam priori nexam, attigit optimè Theodorus
Mopuestenus apud Facundum lib. 9. cap. 1. tra-
ctans enim illud psalmi 44. *procede & regna*, sic
scribit. [Quoniam quidem prius ait; *Regna*,
postea autem memoratus est inimicorum peti-
tionem, & reliquorum subiectionem, ne ali-
quis existimet nuper ei accessisse regnum vel
certè posse eum deinde priuari eadem potestate,
post hæc infert; *sedes tua Deus in sæculum sæculi*,
hoc est, consequenter quidem interimentur ini-
mici, Reliqui verò omnes subiciuntur, quo-
niam quidem non subintromissum habes re-
gnum, sed ex sempiterno, omnium regnas, & in
æternum regnas, & regnum tuum manet in
æternum.]

Non est ergo regnum Christi, quale Regnum
temporalium: in quo rata fortuna, & infirmi-
tas ac caducitas summa, locum habent, ut di-
ctum est in Mor. dist. 1. num. 146. & 151. & pau-
cis attingit S. Basil. hom. de non adhaerendo re-
bus secularibus, dicens competissimum esse
[quomodo qui olim serui fuerunt, ad princi-
patus Thronum ascenderint: ac rursus aliquan-
do Domini ac heri vocati, cum subditis ad ser-
uiendum præsto esse soliti fuerint, & suos ipso-
rum seruos venerati sint, rebus ut in taxillorum
circumvolutionibus fieri solet, repente mutatis,]
Nuncium Deus, ut est apud Iobem cap. 12. bal-
theum Regum dissoluit, & præcingit fune renes
eorum. Apud Beniaminum Tudelensem in Ie-
rem. Calipha Bagdad, semel in anno prodit,
gestans super cidarum splendidissimam, nigrum
sodarium, quo sæculi huius verecundiam, (ut
Iudeus ille loquitur,) proficitur; factis, dicens,
hic regnis splendor, obtenebrabitur: & in die
saltem mortis, nigrescet. Ex nullo capite timen-
da est regni Christi caducitas. Et idcirco ut no-
tat S. Cyrillus lib. 12. de adorat. mithra Sacer-
dotalis, quæ ob appressam fronti laminam
auream, Symbolum erat regni, videbatur nun-
quam de capite Aaronis deponi, iuxta præscri-
ptum Exodi 28.

*Exercitium regie huius potestatis, nullum
in Christo viatore.*

382 Nec plura de eo Christi regno quod
et obiecto potest temporale appellari, quodque
Christus habuit semper quasi in theca recon-
ditum, dum hic nobiscum viueret. Non enim
assentior Toletio in cap. 1. Lucæ annot. 89. affir-
manti, Christum quandoque hac regia pote-
state visum, cum etiamnum viator esset; ut cum
Lucæ 8. legionem Dæmonum, porcorum gregem
Theophili Raynaud Opus. Theol.

dedidit: & cum Lucæ 22. asinam & pullum ad
se adduci iussit, præmonitis discipulis, ut si quis
soluentes remoraretur, dicerent; *Domine his
opus habet*: nec non Ioan. 2. (in quo exemplo
in hanc rem usurpando præiit Toletio Ber-
trandus Cardinalis lib. de orig. iurisdictionum
quæst. 3. *sub finem*:) cum per potentiam omni-
no insignem, effuso are nummulariorum,
& mensis subuersis, mercaturam in templo
exercentes expulit. Ad hæc cum sicum exsica-
uit Marci 2. & cum adulteram liberauit à pœna
legis Mosaicæ Ioan. 8. cum toties admisit regias
acclamationes; & militibus sub passionem præ-
cepit, ne cui suorum vim afferrent; sed liberos
abire permitterent. Hæc sunt regie potestatis
Christi exercitia per Christi vitam, quæ Toletus
annumerat. Sed nihil horum ad Regiam Chri-
sti potestatem directam (de qua hætenus,) est
referendum. Possunt enim commodè exponi
per potestatem regiam spirituales, de qua pro-
ximè agemus. Ut taceam aliquos, inter quos est
Valentia; p. d. 1. q. 22. p. 6. ad 4. referre hæc om-
nia in potestatem increata. Et quidam etiam
sunt, qui ista absque regia potestate à Christo
per specialem instinctum patrata, censuerunt: ut
à Prophetis qui priuati homines erant, non raro
factum in similibus. Ita ex aperte tradit Vasq.
3. p. d. 87. n. 3. Mihi tamen, quod dixi, videtur
commodissimum.

Nego autem expropterea inquam fuisse à
Christo viatore regiam hanc potestatem, ex ob-
iecto temporalem: quia Christus non venit mi-
nistrari sed ministrare; nec imperare ciuilitate, &
iurisdictionem exercere cum eo apparatu qui
sæculi Regibus est sollemnis; sed humilitatis &
subiectionis exemplo præluere. Pleniùs in eam
rem disserit autor operis de regem. princ. in-
scripti S. Thomæ lib. 3. cap. 14. & 15. Idipsum
verò significare volebat Christus, cum dixit
Lucæ 17. *regnum Dei non venit cum obseruatione*.
Ibi enim *regnum Dei*, pro ipso *Rege Messia*
sumitur, ut responsio Christi quadret Iudeo-
rum interrogationi, qui quæsierant quandonam
uenturus esset ille ab ipsis tantopere expecta-
tus Rex Messias. Respondit ergo Christus ad-
uentum Regis illius, malè concipi similem ad-
uentui Regis terrestris, qui cum certa temporis
obseruatione expectatus aduenit, & excipitur
intra vrbes suas, ius dicturus & dispositurus om-
nia pro libito. Hoc de regno suo negat Chri-
stus eo Lucæ loco, quem hæretici peruersè de-
torquent ad errorem de Ecclesia inuisibili fu-
siùs explosi à Suare lib. 1. contra Iacobum c. 8. à
num. 16. Itaque seipsum designans, & regni Dei
nomine nuncupans, addit; *regnum Dei intra vos
est*. Ego inquam qui sum regnum Dei, medius
vestrum sto, quem vos nescitis, unde non veni
cum obseruatione, & pompa. Quamquam non
me latet, aliud eum locum à Cassiano flecti col-
lat. 1. cap. 13. *sub initium*: ubi rursus *in fine*,
de alio triplici præter Christum, in Scripturis
memorato regno celorum. Nouem inuper
nationes eiusdem vocis, ex aliquibus Scri-
pturis eruit Melchior Flavius lib. de regno
Christi c. 5.

*Christus constitutus Rex à Deo, super
Sion montem sanctum eius.*

Praeter regnum Christi ex obiecto tempo-
rale, de quo haecenus, aliud in eo regnum
distinguebamus, quod Spirituale est ex obie-
cto, nec reuera differt à supremo Pontificatu,
quod attinet ad potestatem regendi animas in
ordine ad finem Spiritualem & salutem suam.

*Christus solus, vi eiusdem tituli, Rex
& Pontifex.*

Quamvis autem in temporibus & seculari-
bus Regibus, potestas Pontifici, siue regnum
Spirituale, non iungitur cum temporali vi
eiusdem tituli; in Christo tamen ut dilectus no-
tauit S. Chrysostomus orat. de vno Legislatore,
res aliter habet. [Hac quidem res (inquit) Je-
litioni inter Iudaeos occasionem praebebat, in
ut noua & iniuriata inter se quaestione contem-
derent: Cum enim Apostoli Seruatores, &
Regem, & Sacerdotem, & Prophetam prae-
dicarent; Iudaei inter se contendebant, allatis
in medium quae in lege ipsorum praescripta fue-
runt oraculis, & testimoniis. Alia dicebant,
tribus Regni, & alia Sacerdotij Ieritica quidem
Sacerdotij, tribus verò Iuda Regni. Si igitur
Christus Rex, ergo non Sacerdos: si vero Sa-
cerdos, ergo non Rex aduersus quos Paulus
agens, omni oratione ad euertendam hanc ip-
sorum opinionem comparata, ait: num igitur
Christus, secundum Sacerdotij vestri ordinem
& institutionem resurrexit? Apud vos quidem
Regnum & Sacerdotium distincta sunt. In
Christo utrumque coniunctum esset copula-
tum. Tu enim, aiunt sacrae litterae, Sacerdos in
aeternum secundum ordinem Melchisedae. Attribu-
latur S. Bernardus epist. 243. verbis illis. [Nec
dulcius, nec Amabilius, sed nec arctius omni-
no, Regnum sacerdotiumque coniunctum seu
complantari in inuicem poterunt, quam ut in
persona domini, ambo haec pariter conueniant;
ut potè qui factus est nobis ex utraque tribu se-
cundum carnem, summus & Sacerdos & Rex.
Facundus idem optimè tradit lib. 11. pro tribus
capitulis cap. 3. [Cogitare (inquit de Marciano
Imperatore,) & nosse facillime potuit, Christi
solius esse regnum cum sacerdotio simul habe-
re: quoniam & si quidam Reges, in eius ven-
turi figuram sacerdotio functi sunt, tamen cum
manifesta lux venit in mundum, vmbrae, re-
mouens futurorum, nulli alteri dedit, quod sibi
singulare seruauit: sed in diuersos dona sua di-
stribuens, sic quae propria sunt sacerdotij Regi-
bus interdixit, quo circa quemadmodum vir
sapiens, non profanum iudicaret hoc velle vi-
deri, quod solus est Christus?

385 Audiri quo loco antiqui Christiani
haberent monstruosam diadematis regij ac
thiarum pontificiarum consociationem, multipli-
cium abominandorum incestuum concursu
procreatam superiore saeculo? Nec melius de
eiusmodi

383 In hac meta, duplex vsus huius do-
ctrinae obiter legendus est. Primus quo per
sanctam superbiam efferamur, quod tantum
Dominum habeamus, ac tanti Regis domestici
& aulici simus. Mirabatur Epitectus apud Ar-
rianum lib. 1. cap. 3. & lib. 3. cap. ultimo, non
se continere hominem, cum à Caesare inter
domesticos annumeratur. Nobis omni iure
magni Spiritus sunt assumendi, cum perspicimus,
Dominum cuius famuli, Regem esse Re-
gum, eiusque populum esse principes. Non
dissimulat S. Athanasius orat. de Ascensu, se qua-
dam sancta magnanimitate efferri, cum audi-
ret hominem de sanguine suo, in caelo re-
gnare. Idem & nos sapiamus, Christum etiam-
num viatorem, in caelo & in terra Regem fuisse
agroscientes. Est etiam quod in hac meta,
gratiam Domini nostri Iesu Christi cum Apo-
stolo demitemur, qui cum Rex esset vniuersalis
Angelorum & hominum, iure sibi tot titulis
parto, uti noluit; nec quod nos passim faci-
mus, affectauit regnare & praeesse aliis, id
quod factus erat, sed subesse quaesuit. Itaque
de regiae huius potestatis Christi, deque con-
ueniente regni administratione, cum Christus
ea perpetuo abstinerit, nihil hoc loco. Possumus
tamen ac etiam debemus, hinc assurgere,
ad dignitatem operum ac perfectionum Christi
contemplandam ac suspiciendam. Quo enim
sublimior est Christi dignitas, (& est sublimis-
sima, cum Rex regum sit, & Dominus domi-
nantium,) eo nobiliores sunt eius actiones.
Sed praesertim hanc ob causam, maiorem ex-
citare debet commiserationem, cum nobis ob-
uerfatur patiens, & violenta morte occum-
bens. Conradinus Federici Barberossae nepos,
à Carolo Andegauensi ex fuga retractus, anno
1268, & cum Federico Austriaco Neapoli per
carnificem publicè caesus est. Ad eum nuncium,
orbis vniuersus obstupuit; Ipseque Conradinus,
Carolo quod caput regum letho addiceret, im-
manitatem exprobrauit. Petrus etiam Rex Ara-
gonum, in eundem Carolum, hoc conuictij spi-
culum torfit. Tu es Nerone Neronior, & Sara-
cenis crudelior: Quod Saraceni quoque Reges
captiuos vererentur, & litui exactione con-
tenti, superstites dimittant, ut factum S. Lu-
douico Carolo fratri. Mariam Stuartem Scotiae
Reginam, Elizabethae Anglicae perfidissima
crudelitate carnificinae suppositam, seculum
proximum inhorruit. Adèd omnibus persua-
sum est, & Regiam personam, etiam in cala-
mitate, debere esse venerabilem, & liberam
vexatione. Quis igitur sensus noster esse debet,
cum Regem caelorum ac Dominum, Regem
regum, ea à famulis ingratis passam audi-
mus, quae irrogata facinorosissimis, commiserationem
excitant?